Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Oratio De Ortv, Vitae Cvrricvlo Et Beata ex his terris migratione Reverendi viri Pietate, Ervditione, Sapientia & rerum vsu praestantis Christophori Binderi Abbatis Adelbergensis

Hermann, Christoph

Tvbingae, 1597

XXIIII.

urn:nbn:de:bsz:31-131212

Visual Library

COENOBIVM petij quondam, tibi Christe sacratum,
COENOBIVM inueni, CHRISTE benigne, tuum.
COENOBII verus curaui fortiter ABBAS,
RVS, POPVLVM, atq; SCHOLAM, FALCE, SALVTE, LIBRO.
COENOBII trado CORPVS nunc vermibus escam:
COENOBIVM COELI SPIRITVS inde petit.
Qui modò PONTIFICALE PEDVM TERRENVS obibam:
Nunc gero COELESTIS SPIRITVALE PEDVM.

M. Erhardus Schuueighart, F.

XXIII.

MOrs tua Bauhofì si cedere morte fuisset
Fas, Bindere pater viuus in orbe fores.
Gauisus nigris potuissem occumbere fatis,
Hoc pro quod pectus diligo Candidolum.
Aeternas mihi nunc lachrymas tristesque dolores,
Perpetuasque creas pectore tristitias.
O utinam per me vitali hac vescier aura
Posses: mercarer te propriâ hac animâ.
Sed quando hæc ita fata ferunt, quæ flectere nullis
Effusis precibus largiter usque queunt.
Quid queror? indulgere iuuat quid quæso labori
Infido? lachrymas littora surda bibunt.
Quid queror? Adiungo hæc Bauhofì pectore viue,
Carmine viue meo perpetuumque vale.

M. Alexander Bauhof. F.

XXIIII.

ἀναγραμματικῶς.

Christophorus Binderus Præsul Adelbergensis
Vir labi prudens; Christo Hospes Blande Resurges.

FElix ô nimium, quater, ô super omnia felix,
Qui verâ didicit cognitione mori;
Namq; mori Christo, Christo bene surgere summum est,
Hoc Duce qui moritur, mox rediuiuus erit.
Ergò nec inuideo mortem tibi BINDER *amande,*
Quâ cupis ad vitam tendere sydeream:
Nam bene vixisti! satis est, Dominoq; sciebas
VIR LABI PRVDENS, *& superare necem!:*
Nil dubita; Christo *tandem* Hospes Blande resurges,
Et vitam in cœlis usque beatus ages.
At tu Musarum fautor supreme mearum,
Et quondam studijs Rector amice meis,
Viue, vale, & gratam testantia carmina mentem,
Pro meritis summum hoc pignus amoris habe.

Andreas Fabri Philosophiæ stud.

XXV.

QVid vultis, faciam? mea spes est unica Christus,
Huic viuo, huic morior. Coniunx charissima te nunc
Postremùm amplector, meritò pars altera vitæ.
Delitiæque meæ; mea spes, mea sola voluptas;
Nobile dimidiumque animæ; coniunxit eodem
Nos thalamo lectus, vita mihi dulcis in omni
Vxor, & ad votum, quò me mea fata trahebant,
Fœmina nata meum, multos concorditer annos
Viximus unanimes, testantur pignora lecti;
Vnum velle fuit, fuit unum nolle, nec unquam
Lis tecum orta mihi, non sic in amore columbæ
Perpetuo viuunt. Mors ultima linea rerum.
Sat tibi nunc vixi, quem fata, Deusque sinebant,

Ab-